



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

27. Bibite ex hoc omnes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

vobis, quod non bibam, de generatione vitis, id est, de cōmuni vino, & in familiari vobiscum cœna, donec regnum Dei veniat, id est, vsque ad resurrectionem generalem, vbi nouo potu vos reficiam: quod paulo apertius Matthæus posuit, vt supra explicatum est; tamen si non seruato ordine, vt Lucas facit: qui statim aggreditur aliam Christi & vltimam Cœnā, in qua diuina mysteria tradebat. Et accepto pane, &c. Hæc res quum apud Lucam ita clara sit, vt vel Christum bis calicem consecrasset (quod est absurdissimum) fateri oporteat, vel ad mysterium calicis consecrati hæc verba non pertinere agnoscere necesse sit, manent tamē in sua pertinacia Calvinistæ, & ordinem disertissimē à Luca seruatum, remque totā ab eo plenius enarratam aduertere nolunt.

Post hæc præclara argumenta concludit Calvinus: Ergo modis omnibus refellitur Papistarum inscitia. Atqui an non potius Caluini tam inscitia quam impietas modis omnibus à nobis refutata sit, iudicet quilibet æquus Lector, resque loquatur ipsa.

27. *Bibite ex hoc omnes.*

HIc latum sibi campum contra Ecclesiā Catholicam excurrendi aperiri existimauit Calvinus. Hoc vt licetiosius præter, aliquod prius future accusationis fundamentum ac robur ponit. Quia Christi (inquit) consilium fuit fidem nostrā sibi totam obstringere, ne quid extra ipsum quæramus, duobus symbolis vitam nostram in se inclusam esse testatus est. Indiget corpus hoc ad fouendam & sustentendam vitam cibo & potu. Christus vt se vnum nobis ad prestandas omnes salutis partes in solidum sufficere doceat, sibi

sibi vices potus ac cibi tribuit: in quo mira eius indulgentia relucet, quod fidei nostrae consulere volens, ad carnis nostrae rudiatem ita se demittat. Dicit solet: Cæcus de coloribus iudicare non potest: Multo minus cæcus hæreticus de Christi consilio iudiciū ferre. Quod fuerit Christi consilium in duplici specie corporis ac sanguinis sui exhibenda, non odio Ecclesie & superbo sui ipsius amore excæcatus Calvinus, sed Catholica Christi Ecclesia eiusque Præpositi ac Magistri & optimè intelligunt, & docere nos debent. Calvinus totum Christi consilium in fide nostra Christo magis obstringenda, & ut fidei nostrae consulatur, ponit. Atqui nec vlla Scriptura hoc docet, nec Ecclesia vnquam tradidit (sed cerebri Calviniani spectrum est) nec etiam probabili ratione subsistit. Nā tametsi de fide nostra stabilienda Christus in hoc Sacramento ageret (quem vnicum omnium Sacramentorum finem esse stupidissimè Calvinus vult, quasi vnumquodque Sacramentum proprium suum finem, effectum, ac fructum in Scripturis expressum non haberet) tamen eam æquè vna species stabiliret quàm vtraque. Quod ne à me temere dictum Calvinista quispiam existimet, ex ipsis Christi verbis comprobabo. Dicit Christus de vna specie: *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita.* Tametsi enim hæc verba de ipso Sacramento Christum dixisse Calvinus neget (cuius contrarium eo loco abunde demonstrabimus) tamen faterur ingenuè eodem in loco, *nihil hic dici quod non in Cæna figuretur ac verè præstetur fidelibus: adeoque sacram Cænam quasi huius concionis sigillum esse.* Atqui in illis verbis, ipso interprete Calvino, fidem nostram sibi totam obstringit Christus, & fidei nostrae consulere voluit Christus.

Fidem
æquè vna
species
confirmat
quàm
vtraque.
Ioan. 6.

Ioan. 6.
ver. 54.

Ad ver. 51 Sic enim ad hæc verba commentatur. Quia vis illa arcana conferendæ vitæ de qua loquutus est, dicens, Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum (vbi in verbo edendi ad fidem nos hortatur, quæ sola facit vt fruamur hoc pane in vitam) ad diuinam eius essentiam referri poterat, non descendit ad secundum gradum, ac vitam illam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur. Mirificum sanè Dei consilium, quòd in ea carne, vbi sola prius mortis materia erat, vitam nobis proposuerit. Atque ita infirmitati nostræ consulit, dum nos ad fruendam vitam non vocat super nubes, sed eam exerit in terra. Interea fidei nostræ humilitatem & obedientiam probat, dum vitam petiueros in carne sua in speciem contemptibili subsidere iubet. Et paulo post, Dandi verbum variè accipitur. Prior donatio (Panis quem ego dabo) quotidie fit, quoties scilicet se nobis Christus offert. Secundo loco (Quam ego dabo pro mundi vita) donationem illam vnicam notant quæ facta est in cruce. Nihil enim prodesse victimam illam semel esse immolatam nisi nunc sacro epulo vesceremur. Docet ergo his verbis Calvinus in vna specie panis (de qua vna Christus hic loquitur) in sacro epulo Cænx Dominicæ Christum se nobis quotidie offerre, ad fidem in eo nos hortari, qua sola illo fruimur; atque ad fidei nostræ humilitatem & obedientiam probandam, vt ex carne sua vitam petamus, iubere. Sufficit ergo vna species ad fidem nostram fouendam ac sustinendam, si hoc consilium Christi erat dum hoc Sacramentum institueret.

Totum
Sacra-
menti
fructum
vna spe-
cies con-
fert.

Cæterum longè aliud Christi consilium fuisse, ipsa Christi verba luculenter docent, & Ecclesia Catholica tradidit. Nempe vt vitam habeamus, ac maneamus in Christo, quod toties in 6. capite Ioan. Christus inculcauit. Rursum vt vniti Christo sic viuamus propter illum sicut ille vixit propter Patrem, quod eodem in loco docuit. Tum vt simus vnus panis & vnus

num corpus, inter nos ipsos, qui de vno pane participamus, quod Paulus docuit. Demum vt mortem Domini commemoremus, quod Christus ipse proposuit. Tandem vt fructus mortis Dominicæ ad nos deriuetur, remissio peccatorum & dona gratiarum: quia, vt ipsemet Calvinus alibi scripsit, comedere Christi carnem necesse est vt crucifixa prosit. Atqui hac omnia vna species vbertim præstat. De vna specie dixit Christus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Rursum. *Qui manducat me, viuet propter me.* Qui autem viuic propter Christum, vti que manet in Christo. Vt simus omnes vnum corpus, de vno pane participamus. Ad vtramlibet specie dixit Christus. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Deinde aliud fuit Christi consilium in hoc Sacramento celebrando & publicè administrando, aliud in eodem à singulis percipiendo. Vbi eius celebrationem & perpetuam administrationem instituit Christus, vt in Cena vltima, vtramque speciem porrigit, & adhiberi iubet. Vbi autè fructum eius à singulis percipiendum describit, vt Ioan. cap. 6. in vna specie totum ponit non secus quàm in vtraque. Spiritualis quippe refectio quæ singulos concernit, tota & plena est, siue in carne Christi sub specie panis, siue in sanguine Christi sub specie vini. Spiritualis autem refectio in Sacramenti administratione significata, plenius in vtraque specie repræsentatur, quàm in vna: ideò que non nisi in vtroque elemento ab Ecclesia Christi Catholica semper fuit administrata. His ita positis, facilè quæ in Caluino sequuntur refutantur. Sunt enim rixæ potius quàm rationes. Sic enim prosequitur.

Quo magis detestabilis est sacrilega Papæ audacia, qui sacrum hoc vinculum rumpere non dubitauit. Hoc cele-

B b 4 rati

1. Cor. 10

Luc. 22,

Ioan. 6.
ver. 63.

Ioan. 6.

1. Cor. 10

1. Cor. 11
Sacra-
menti ce-
lebratio
& perce-
ptio di-
uerfa.

rati hæretici detestabile maledictum quum ex præcedentibus inferatur, quæ plena vanitatis ac dementiæ ostensa sunt, in fumos abeat necesse est. Audimus (inquit) filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis confert, duobus symbolis pariter testatum esse. Quæ diuinitus coniuncta erant, quo iure diuellerè homini mortali fas fuit? Respondeo: Audiuius filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis cõfèrè, in vno symbolo testatum esse: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat me, viuet propter me.* Quod ipsa veritas de vno symbolo pronuntiauit, quo iure ad duo restringere homini mortali fas erit? Deinde non Papa, sed tota Christi Ecclesia his multis seculis vnam speciem laicis porrexit. Cur eam quoque detestabilis & sacrilegæ audaciæ nõ condemnat Calvinus? Tandem si verè detestabilis & sacrilega audacia est, hoc sacrum vinculum rumpere, vt vno tantum symbolo vitæ plenitudo conferatur, quã in duobus Dei filius testatus est, quanto detestabilior & magis sacrilega Caluini audacia fuit, qui hoc sacrum vinculum ita penitus perripit, vt Dei filium nec in duobus symbolis nec in vno, non dico vitæ plenitudinem, sed nec vllam vitæ particulam conferre patiatur: omnemque vitæ fructum tam procul à symbolis remoueat atque propellat, quàm procul cælum à terra distat? quumque in terra hæc symbola conspiciantur ac sumantur, totam vitæ rationem in Christi carne in cælis posita, imò nec in illa, sed in quadã efficacia ab illa deriuata (iuxta proprium cerebri sui commentum) collocauit? & per hoc ipsa symbola penitus vitæ inania & vacua reliquerit. Hæc est verè detestabilis & sacrilega Caluini audacia. Et tamen audet homo sacrilegus suam impuram scabiem alij affricare, nec cui-

Ioan. 6.

Caluini
audacia
sacrilega.

uis alij, sed ipsimet Christi Vicario, & n̄ militantis
in terris Ecclesiae vniuersae Capiti sub Christo su-
premo.

Pergit adhuc Calvinus, in quo audiendus est.
Adde quòd consultò videtur Dominus præcipere omnibus vt
ex calice bibant, quo sacrilegium hoc ab Ecclesia arceret. De
pane simpliciter dixisse legimus, vt acciperent. Cur bibere
nominatim iubet omnes, & Marcus bibisse omnes disertè
narrat, nisi vt sibi ab impia nouitate caueant fideles? Nec
tamen se uero hoc interdicto deterritus fuit Papa, quin fixã
à Domino legem mutare ac violare auderet. Populum enim
totum prohibuit ab usu calicis. Tota hæc rixa potius
quàm ratio ex ipso postremo Caluini verbo re-
felli potest. *Populus prohibetur ab usu calicis.* Populo
enim dari calicem Christus non præcepit: nec po-
pulo, sed solis Apostolis, & futuris eorum succes-
soribus, huius diuini mysterij ministris, dixit,
Bibite ex eo omnes. Nullũ ergo hîc Christi interdictũ
violatur, nulla Domini lex immutatur. Quod
omnibus nominatim præcepit vt biberent, ab
omnibus nominatim adimpletum fuisse Marcus
narrat: *Et biberunt ex eo omnes.* Si id obseruandum
putat Calvinus, quòd de pane simpliciter dixit, *Accipite,
& manducate,* illud quoque obseruandum dicimus,
quòd nullus Euangelista adiecit: *Et acceperunt, ac
manducauerunt:* sicuti de solo calice adiecit Marcus:
Et biberunt ex eo omnes. Imò omnes accepisse ac
manducasse non dicitur, nec omnes accipere ac
māducare iubentur, ne vllò modo māducationis
præceptum ad illos solos præsentés aut eorum
successores, sed in vniuersum ad omnes fideles
pertinere ostenderetur. Ad calicis mentionẽ ideo
tū iubentur omnes bibere, tum omnes bibisse
memoratur, vt intelligeretur præceptum bibendi
necessariò ad illos solos præsentés atque eorum

*Bibite ex
hoc omnes,
calicem
populo
potius au-
fert quàm
tribuit.*

successores illis in officio pares, non autem ad vniuersum populum fidelem pertinere. Ita hæc observatio nihil Calvinum iuuat, sed æquè offendere potest ac iuuare.

Addit adhuc. *Atque vt se probaret non sine ratione facere, obtendit satis esse speciem vnã, quia per concomitantiam coniunctus sit sanguis cum carne.* Non hæc tantum ratio affertur, quæ tamen bona ac firma est, probatque totum Christum non secus in vna specie sumi quàm in vtraque; sed & aperta Christi verba proferuntur, iamque à nobis prolata fuerunt, quæ totum huius Sacramenti effectum ac fructum vnice speciei assignant. Ea sibi dissimulanda Calvinus putauit. At tamen vt hanc rationem conuellere conetur, videamus. *Quasi verò non eodem prætextu totum Sacramentum abolere liceat, quia a quibus sui participes nos facere Christus possit absque externo adminiculo.* Ita sanè iuxta Caluini dementiam; qui nihil amplius in hoc Sacramento conferri dogmatizat quàm extra illud, & sine hoc Sacramento, per solam fidem cuiuslibet conferri potest. Ait

enim manducationem carnis Christi non aliam esse quàm fidei manducationem, nec vllam aliam fingi posse. Et rursum. Fateor non manducari Christum nisi fide. Atqui fidem extra Sacramentum officium suum facere quis dubitat? Quare alibi apertis verbis Calvinus dicit in 6. caput Ioannis, Non de Cæna haberi concionem, sed de perpetua communicatione, quæ etiam extra Cæna vsum nobis constat. Rursum hanc perpetuam communicationem carnis Christi ponit in perpetua & quotidiana Euangelij prædicatione, non secus quàm in Cæna. Sic

enim alio in loco scribit. Illis verbis, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, haud dubiè inuenit Christus, suum nobis corpus idcirco

pro

Instit. lib.

4. cap. 17.

num. 5.

In Ioan.

cap. 6.

ver. 47.

In Ioan.

cap. 6.

ver. 53.

Instit. lib.

4. cap. 17.

num. 5.

pro parte futurum ad spiritualem animæ vitam, quia in mortem pro salute nostra exponendum erat: nobis autem porrigi ut vescamur, quam fide nos facit eius participes. Semel itaque ipsum dedit quo panis fieret, quam in mundi redemptionem crucifixum exposuit, quotidie dat, ubi participandum quatenus crucifixum est Evangelij verbo nobis offert: ubi eam exhibitione sacro Cæne mysterio obsignat, ubi id ipsum interius complet quod exterius designat. Triplicem ponit quotidianam & perpetuam corporis Christi crucifixi participationem: unam in Evangelij verbo oblatam, alteram in Cæne mysterio obsignatam, tertiam interius completam, quæ exterius designata erat. Ita non secus extra Cænam in Evangelij verbo quam in Cæna carnis Christi participationem ponit. Idem quippe apud Calvinistas efficit Evangelij prædicatio, quod cuiuslibet Sacramenti exhibitio. Caluino subscribens Beza cū tota Synodo Rupellana rotundius dicit, tametsi Cæna ad mysticam & spirituales Christi communicationem specialiter instituta fuerit, nihilominus eundem Iesum Christum cum omnibus suis donis etiam in simplici verbo, & in baptismo nobis offerri, & à credentibus percipi. Denique Calvinus tametsi multis verbis docere conetur participationem Christi in Cæna iuxta suum figmentum plus esse quam spirituales, eosque reprehendat qui nos Spiritus modo participes in ea faciunt, tamen post totam suam hypocriticam huius mysterij commendationem concludit hunc in modum. Quapropter Scriptura ubi de nostra cum Christo participatione loquitur, vim eius universam ad Spiritum refert. Pro multis tamen unus locus sufficiet. Paulus ad Rom. 8. Christum non aliter in nobis quam per Spiritum suum habitare differt: quo tamen illam, de qua nunc sermo est, carnis & sanguinis communionem non tollit, sed ab uno Spiritu effici docet, ut totum Christum possideamus,

Participatio Christi iuxta Calvinum eque extra Cænam Dom. quam in illa.

Theolog. Epist. 65. pag. 285.

Instit. lib. 4. cap. 17. num. 7.

Lib. & ca. eodem num. 12.

**Caluini
resolutio.**

& habeamus in nobis manentem. Tota igitur Caluini resolutio est (quicquid interdum, ut lectori fucum faciat, de hoc mysterio magnificè loquitur) solam in eo esse spirituales Christi participationem, quam videlicet solus Spiritus efficit, quæ non secus extra mysterij vsum habetur per solam fidem (saluo quòd adest in Cæna figura quædam externa, eandem participationem, ut ipse confingit, obliquans) quàm in eius vsum per symbola accepta. Ergo (ut ad obiectionem Caluini redeamus) iuxta eius propriam dementiam, nec de vna nec de duabus speciebus admodum laborandum erit, sed totum Sacramentum sine magno incommodo abolere licebit, *quia equè sui participes nos Christus facere potest*; imò de facto facit per Euangelij prædicationem, per solam fidem, & solo Spiritu suo, absque externo adminiculo huius Sacramenti. Ita contra ipsum Caluinum pulchrè currit obiectione, quam contra Papam ingeniosè à sese inuentam existimauit.

Participatio à Catholicis creditur.

**In Ioan.
lib. 10.
cap. 13.**

At verò Papa & tota Ecclesia Catholica, tamen in vna specie huius mysterij totum Christum per cōcomitantiam recipi verè doceat, non tamen absque vtraque specie perinde Christum accipi docere censenda est. Agnoscit enim in hoc sacro sancto mysterio singularem quandam, realem, naturalem, corporalem, (non spirituales tantum) Christi participationem, quæ extra hoc Sacramentum, nec per solam fidem, nec per Euangelicam prædicationem, nec per aliquam concomitantiam, nec denique per solam diuini Spiritus operationem datur. Agnoscit cum B. Cyrillo Alexandrino *non solum nos recta fide sinceraque ebaritate Christo spiritualiter coniungi; sed esse quodque in nobis aliam coniunctionis rationem secundum carnem cum*
Christo

Christo per mysticæ benedictionis virtutē, quæ cum in nobis sit, corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare. Et iterum, Corporaliter Dei filius per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur, spiritualiter autem ut Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad novam vitam spiritum redintegrat. Agnoscit quod scripsit B. Chrysostomus. *Ut non solum per dilectionem sed reipsa in Christi carnem convertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus est.* Et alio in loco. *Christo non factus fuit ut homo fieret, &c. verum & seipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & reipsa nos suum efficit corpus.* Cavillatur ad hæc verba Calvinus. *Hoc tantum vult Chrysostomus excludere, ne quis dum fidem nominari audit, nudam imaginationem concipiat.* Atqui S. ille Pater non solum nudam imaginationem & apprehensionem intellectualem quæ sola fide fit, & quam Zwingliani solam ponebant, ut manducare nihil aliud esset quam credere, hoc loco excludit; sed etiam solam communicationem spirituales, quæ per fidem & charitatem realis esse potest, qualem statuit Calvinus (saltem ex parte fidei) similiter excludit; & illam realem communicationem ponit, quæ est plusquam spiritualis: qua videlicet vera Christi caro non absens per fidem accipiatur, ut præstigiatur Calvinus; sed reipsa præses realiter nobis cōiungatur, à nobis realiter percepta. Vnde & in sequentibus eodē loco dicit: *Quis pastor oves pascit proprio cruore? Sed Christus nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Agnoscit rursus cum B. Hilario non spiritu modo, sed & naturaliter nos Christo per hoc Sacramentum coniungi. *Si verè (inquit) Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est?* Sic Cyrillus scripsit non habitudi-

Ibidem
lib. 11.
cap. 26.

Homil. 49
in Ioan.

Homil.
60. ad
Popul.
Ant.
Instit.
lib. 4.
cap. 17.
num. 6.

De Trin.
lib. 8.

In Ioan.
lib. 10.
cap. 13.
Ephes. 5.
Lib. 5.
Eph. 5.
In Ioan.
lib. 11.
cap. 26.
Catech. 4.

tudine solū que per charitatem ac fidem intelligitur, verum etiam participatione naturali Christum in nobis esse. Agnoscit postremò huius Sacramenti beneficio nos esse os ex ossibus Christi, & carnem de carne eius, vt exponit Irenæus: nos esse cōcorporeos Christo, vt iterum Apostolus loquitur, vt exponit D. Cyrillus Alexandrinus: ac demum nos esse *χριστοσώπος*, vt alter Cyril. Hierosolymitanus scriptum reliquit. Hanc SS. Patrum doctrinam ac fidem amplexus Papa, sic sub vna specie totum Christum *corporaliter, naturaliter, reipsa*, nobis coniungi docet, vt extra hoc diuinissimum Sacramentum eodem modo nos sui participes Christum facere non credat: ideòq; vt hęc tantam, tam singularem, tam arctam, tam diuinam, tam fructuosam coniunctionē retineat, totum Sacramentum nullo modo abolere velit, tametsi vna specie populum contentum esse grauisissimis ex causis iubeat.

His nunc ita explicatis, Caluini conclusio non modò in Papam non quadrabit, sed in ipsius Caluini caput tota recidet, qua sic scribit. *Sed istis puerilibus caullis nihil iuuatur eius impietas, quia nihil magis absurdum est quàm vt traditis à Domino subsidijs sponte careant, vel priuari sustineant fideles: ideòque nihil minus ferendum quàm impia hęc laceratio.* Contra seipsum classicum cecinit Caluinus. Nihil enim certe minus ferendum, ideòque Caluinistis nihil hodie pestilentius, quàm impia hęc mysterij non iam laceratio aut mutilatio, qualem Papæ inaniter & pueriliter hactenus obiecit, sed vniuersa abolitio, profanatio, & extinctio, qualem Caluinus per suum commentitium canale in orbem introduxit, vt satis in præcedentibus ostensum à nobis est. Nihil etiam magis absurdum, imò turpe, ignominiosum, & lamentabile, quàm vt vnus

Caluini

Caluini-
nistis ni-
hil hodie
pestilenti-
us.

Caluini technis, præstigijs, & malis artibus, tam innumeri Christiani in Gallia, Anglia, Scotia, Germania, traditis à Domino subsidijs sponte careant, vel priuari se sustineant. Vnius Caluini & doctrinam pestilentem abominari, & libros venenatos exurere, & memoriam sempiterna obliuione sepelire, aut certe diris deuouere meritò debent, qui vera & reali Christi carnis præsentia, alimonia, fructu (imaginaria è cælo participatione conficta) toto etiam religionis cultu, tot animas Christianas spoliavit, & diuinissima corporis & sanguinis Christi mysteria ad nudam ac symbolicam obliuationem à seipso confictam, maiori, quàm dici potest, impietate traduxit.

39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Dvo nefanda & impia dogmata tam contra Christi honorem quàm contra Euangelicam veritatem euomuit hoc loco Caluinus, & studiosè tuetur: vnū de maledictionis diuinæ horrore pœnisque infernalibus à Christo hoc loco toleratis, alteram de voto Christi inconsiderato & abrupto. Prius nefarium dogma cum tetra blasphemia coniunctum ad eadem Christi verba apud Lucam compendio examinabitur. Nam late & accuratè illud refutatum dedimus in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici recenter edita. De posteriori hic aliqua dicemus. Ego (inquit hoc loco Caluinus) abruptum hoc fuisse votum fateor, tamen si precatio fuerit, non querimonia. Moxque docens fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando configere, de Christo quoque affirmat, sic hoc loco metu perculsum, & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret
inter

In feria 4.
Hebdom.
sanctæ.